

Tymone de Malticz, Alberto Closewicz, Nicolao Gobil, Ulmanno et Nicolao fratribus Schild, armigeris nostris fidelibus ac aliis pluribus fide dignis. Datum Stolpen anno domini M°.CCC°.LXXX°. feria quinta proxima ante festum sancti Georgii martyris gloriosi.

Et nos Nycolaus decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis praesentibus publice profitemur, quod praemissis appropriationi, incorporationi et unioni nostrum expressum adhibuimus — consensum, et in huiusmodi evidentiam sigillum nostri capituli praesenti paginae duximus appendendum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den grösseren Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 662. 1380. 8. Juni.

*B. Nicolaus verfügt auf Ansuchen der Vicare der Domkirche, dass denselben und ihren Nachfolgern, wie diess bei den Domherren der Fall ist, ein Gnadenjahr mit dem Genuss der Hälfte des Einkommens zukommen, sie aber auch bei ihrem Eintritt zu Zahlung 1 Schocks Groschen für den Kirchenornat verpflichtet sein sollen.*

In nomine s. et ind. trin. amen. Nicolaus dei et apostolicae sedis gratia episcopus Misnensis omnibus in perpetuum. Praesularis benignitas dignitatis etc. Sane cum in ecclesia nostra Misnensi rationabilis laudabilis et hactenus rite observata consuetudo esse et servari noscatur, quod quotiescunque aliquem canonicum capitularem dictae nostrae ecclesiae Misnensis de hac vita migrare contigerit, eundem sic defunctum annus gratiae comitatur, in quo quidem anno gratiae a die obitus sui medietas fructuum et reddituum praebendae suae seu beneficii secundum dispositionem ultimae voluntatis decedentis vel ipsius testamentariorum ordinationem erogatur, distribuitur et exponitur —. Industriosi igitur et providi viri domini perpetui vicarii eiusdem nostrae ecclesiae Misnensis devote et sancte cupientes, se quantum eis possibile foret in bono conformare cum debita humilitate et reverentia ipsis canonicis, nobis attentis precibus devotissime supplicarunt, quatenus propter deum et propriam nostram salutem ac pro conformitate piorum affectuum personarum in ecclesia nostra Misnensi beneficiatarum et deservientium praenotatam — canonicorum consuetudinem etiam ad ipsos vicarios perpetuos — et eorum quemlibet ac ad omnes ipsorum in perpetuum successores prorogare et extendere — dignaremur. Nos igitur ipsorum votis consentientes — de consilio, consensu et bona voluntate capituli nostri ecclesiae Misnensis praefatis vicariis perpetuis — praesentibus et futuris in aevum concessimus — et damus annum gratiae quoad suas vicarias et beneficia in ecclesia Misnensi per omnem modum et ordinem, sicut huiusmodi annum gratiae canonici — habere et servare hactenus consueverunt — firmiter statuentes — ut quociens, quandocumque et quocumque tempore anni aliquem ipsorum vicariorum praesentium et futurorum viam mortalium migrare contigerit, tociens huiusmodi migrans sive adhuc in vita per se vel post mortem eius sui testamentarii suo nomine medietatem omnium fructuum seu censuum vicariae et beneficii decedentis, sive hi fructus et census in pecuniis, in bladibus, in manipulis sive in quibuscumque aliis rebus consistant, per unum annum